

quoad potestatem non operandi. Cum ergo dicti auctores propositionem hanc, ut a nobis subsumitur, non negent nec negare possint in sua sententia, non possunt argumentationem nostram conferre cum argumentatione Pelagii, neque responsionem Augustini ad suam causam applicare, quod reipsa et usu constat in his qui sunt præcipue illius dogmatis fundatores; non enim respondent nobis negando minorem propositionem subsumptam, ut Augustinus respondet Pelagio, sed mutando definitionem libertatis, atque ita formaliter vel virtute negando majorem; aiunt enim voluntatis actum semper esse liberum, si voluntas a iudicio cum indifferentia moveatur, quantumvis aliunde ex parte ipsiusmet voluntatis ita præmoveatur, ac prædeterminetur ad exercitium actus, ut ei resistere non possit. Quæ doctrina salvat libertatem coactioni oppositam, non tamen veram libertatem indifferentiæ necessitati oppositam, quam confiteri debemus in nostris actibus secundum doctrinam fidei; et præterea non salvat potestatem operandi in his qui prædeterminationem hanc non recipiant, quæ necessaria ponitur ad completam potestatem operandi; et hæc doctrina et differentia est præ oculis habenda in omnibus his objectionibus in quibus fit quædam collatio inter argumenta Pelagii et nostra.

*Quinta objectio.* — Quinta ergo objectio eadem est cum præcedenti, et ad idem tendit; solum mutatur in ea unum vel aliud verbum, et adduntur alia loca Augustini. Objicitur ergo quod sic argumentemur: auxilium gratiæ efficax non est in potestate hominis, vel, illud gratis dat quibus vult Deus; ergo quibus non dat non poterunt servare affirmativa præcepta; ergo non observare illa, non poterit ad culpam imputari. Est autem vis objectionis qua ita argumentabatur Pelagius, et illi respondet Augustinus in dictis capite de Correptione et gratia, et clarius (aiunt) lib. 2 contra Duas epistol. Pelagian., c. 6, et lib. 4 contra Julian., cap. 8. Idemque cum Semipelagianis faciunt Prosper et Hilarius in epist. ad Augustinum.

Sicut autem objectio est eadem, ita et responsio. Quia vero in objectione adduntur illa verba: Vel illud gratis dat quibus vult Deus; cavenda illa sunt, quia sunt æquivoca, et in nostris locis citatis non inveniuntur. Nam quod auxilium præveniens ac necessarium gratis detur et ex solo beneplacito Dei, omnes fateamur, et præsertim si sit primum auxilium,

nam secundum vel tertium jam possunt dari ex aliquo merito vel dispositione operantis, quod in priori auxilio fundatur. Neque ad rationem libertatis quidquam obstat aut refert, quod præveniens auxilium, sive efficax, sive non efficax, gratis conferatur. Solum ergo requirimus, et necessarium iudicamus, quod tam præveniens auxilium quam efficacia ejus detur vel offeratur quantum est ex parte Dei, et quod carere illo vel actuali efficacia ejus in hominem refundatur, et non in Deum. In hoc ergo sensu argumentatio illa efficacissima est. Neque Augustinus in Pelagio illam dissolvit aliter quam astruendo in hominis potestate esse habere hanc gratiam, saltem orando et postulando illam, supponitque ad orandum et postulandum non deesse illi divinum auxilium, si illum non impediatur, vel auxilio jam recepto strenue uti velit. Quod ex citatis locis, de Correptione et gratia, adductis propriis Augustini verbis jam vidimus. In libro autem secundo contra duas epistol. Pelagian., c. 5, nihil de hoc argumento Augustinus tractat, sed calumniam Pelagii excludit, qui nomine gratiæ fatum introduci asserebat, si gratia non secundum meritum datur. Quæ collectio stultissima erat; nam licet gratia gratis detur, potest dari accommodata ad usum libertatis, ut revera datur. Neque inde fit ut detur propter usum liberum tanquam propter meritum, sed tanquam propter finem; prævenitur autem homo per gratiam, ut habere valeat primum usum suæ libertatis, et ut illud habeat si velit, et interdum datur ut infallibiliter habeat ex proposito Dei mere gratuito. Illa vero infallibilitas non est ex fati necessitate, sed ex infinita Dei præscientia et providentia; at si oriretur ex intrinseca causalitate antecedentis motionis, et hæc motio nullo modo esset dependens ex libertate, plane sequeretur necessitas fato similis, quod nunquam Augustinus negavit, neque similem gratiam defendit, quia nunquam de illa cogitavit. Et eodem modo tractat objectionem illam de fatali necessitate, in d. 1. 4 contra Julian., capite octavo. Præcipue vero ibi defendit gratuitam electionem et vocationem prædestinatorum, ita ut ex illa nulla sequatur fatalis necessitas, sed solum singularis Dei providentia per quam novit Deus infallibiliter intentum quod vult, absque necessitante motione. Quod sine dubio verissimum est; non esset autem ita verum si non posset id facere absque prædeterminante motione. Et ex hac sola nos

inferimus necessitatem repugnantem libertati, non ex providentia prædestinationis, ut videntur intulisse Pelagiani. Idemque fortasse fecerunt Semipelagiani apud Prosperum et Hilarium, quibus eodem modo respondendum est.

*Sexta objectio.* — Ad idem tendit hæc objectio, quia nos consequenter inferimus præcepta Dei esse observatu impossibilia, si prædestinatio est ad hoc necessaria, et illa non est in nostra potestate, et consequenter inferimus injusta esse supplicia, inutiles objurgationes, et similia, quæ inferri solent contra eos qui negant libertatem. At inquirunt idem dixisse Pelagianos et Semipelagianos contra Augustinum, ut ex ipso et ex Prospero et Hilario citatis locis constat. Transeat vero idem dixisse vel intulisse hæreticos illos contra Augustinum, sed non in simili causa neque ex eodem fundamento, ut jam satis explicatum est. Nam hæc argumentatio non est distincta a præcedenti, sed est major explicatio incommodorum quæ sequuntur, ablata libertate; imo in illo loco, quem ex lib. 3 de Auxiliis adducunt, nihil de his incommodis in particulari ego tracto, sed solum de necessitate quæ inducitur per talem determinationem.

*Septima objectio.* — Hæc item objectio coincidit cum præcedentibus; fit enim contra aliam illationem, quæ a Molina et aliis fieri solet, scilicet, induci hominem in quamdam desperationem, cum dicitur esse illi necessarium auxilium quoddam præveniens de se efficax, quod Deus nec dat nec paratus est dare multis hominibus, imo majori parti hominum, neque in illorum potestate esse ut auxilium efficax seu efficaciam auxilii habeant. Objiciunt ergo quia hoc ipsum inferebant Semipelagiani, ut refert Hilarius in epistola ad Augustinum, circa medium, § *Deinde moleste ferunt.*

Verumtamen licet Semipelagiani eandem facerent illationem, non tamen ex eodem principio, sed ex doctrina Augustini de dono perseverantiæ, quod in natura lapsa datur prædestinatis, ut patet libro de Correptione et gratia, c. 11 et 12. Putabant enim Semipelagiani, ut ibidem Hilarius refert, tale esse hoc donum, ut reddat hominem impeccabilem, ut patet ex illis verbis: *Nunc ita Sancti juvantur, ut declinare non possint, siquidem eam acceperunt volendi perseverantiam, ut aliud velle non possint.* Et e converso, de his quibus hoc donum non datur, putabant ita deseri, ut *eis nolle justitiam inevitabili necessitate conjunctum sit.* Hæc enim sunt verba quibus ipsi

explicabant sententiam Augustini, sive illam ita intelligentes, sive hoc tanquam incommodum ex illa inferentes; quo posito, consequenter etiam aiebant inde homines in desperationem induci. Falsum vero testimonium Augustino imponebant; nunquam enim dixit donum perseverantiæ dari homini ut declinare non possit, sed ut non declinet, neque ut aliud velle non possit, sed ut id non velit. Neque dixit Augustinus omnes, qui hoc donum non recipiunt, deseri priusquam ipsi deserant, neque habere inevitabilem aliquam necessitatem male operandi, sed potius sua culpa carere actuali perseverantia, et ita solvitur hæc objectio ab Augustino, in libro de Dono perseverantiæ. At vero Molina et alii non argumentantur ex necessitate veri doni perseverantiæ, sed ex necessitate auxilii physice prædeterminantis, et supponit hæc illatio alias de quibus in præcedentibus objectionibus dictum est, et illis suppositis est evidens, ideoque nihil amplius de hac illatione dicere necesse est.

*Octava objectio.* — Aliud præcipuum fundamentum quo uti solemus contra physicam prædeterminationem, est, quia sequitur omnes illos, qui tale auxilium de se efficax non recipiunt, non habere auxilium sufficiens ad operandum, quia non est auxilium sufficiens illud quod indiget alio ut operationem producat. Contra hoc ergo fundamentum objiciunt, quia simili argumento utebantur Semipelagiani apud Hilarium, in epistola et versiculo proxime citatis. Nam ex eo quod Augustinus docet, prædestinatis dari auxilium quo perseverent, inferebant, eos, quibus tale auxilium non datur, non posse bene operari, quod est inferre non habere auxilium sufficiens.

Respondemus fundamentum illud, recte intellectum, esse solidum et inevitabile contra necessitatem auxilii prævii et de se efficacis ad prædeterminandam voluntatem. Non enim dicimus (ut ipsi referunt) non esse auxilium sufficiens, illud quod indiget alio ut operationem producat; scimus enim esse auxilium sufficiens, illud quo præparatur voluntas per gratiam prævenientem, quamvis indigeat auxilio adjuvante, seu actuali concursu ad actualem operationem; sed dicimus illud auxilium præveniens, quod indiget alio præveniente, non esse sufficiens in suo ordine; quod videtur ex terminis per se evidens, nam sufficiens includit omnia necessaria respectively, seu in illo ordine, in quo dicitur sufficiens. Dicimus præterea, nullum auxilium esse sim-



placiter sufficiens etiam ad posse, quod indiget ad operandum alio præveniendi auxilio, quod homini non datur, neque offertur, neque est in potestate ejus habere illud. Quod etiam credimus esse ex terminis per se notum, ut alibi latius tactum est. Merito autem ex hoc principio sic declarato argumentamur, quia omnes illæ conditiones attribuuntur auxilio prædeterminanti, et de se efficaci; est enim necessarium ad operationem, et ideo dicitur prædeterminare ad illam, et non est in potestate hominis habere illud, quando ex voluntate Dei non datur, quia nihil facere potest ad obtinendum illud; recte ergo infertur non haberi auxilium sufficiens sine illo. At vero Semipelagiani nullum habuerunt fundamentum suæ illationis, ut in proxima superiori ratione diximus, nam idem locus est qui citatur et eadem illatio ex falsa suppositione. Augustinus enim nunquam dixit auxilium ad perseverandum ita negari reprobis, ut non habeant aliquo modo in potestate sua recipere illud, si velint, quia præveniuntur aliquo auxilio vere sufficiente ad aliquid boni faciendum, vel ad orandum; quod si faciant, majus recipiunt quo paulatim perseverent; non est ergo similis argumentatio.

*Nona objectio.*— Hæc objectio est repetitio præcedentium; fit enim contra illa duo incommoda quæ inferre solemus ex necessitate auxilii de se efficaci ac prædeterminantis, quia tollitur potestas non operandi ab his quibus datur, et hi, quibus non datur, relinquuntur sine potestate operandi, et nihil novi objicitur, nisi quod etiam Semipelagiani simili modo argumentabantur contra necessitatem doni perseverantiæ apud Hilarium supra. Mirum ergo non est quod nos etiam nihil novum respondeamus, sed quod jam sæpe diximus, Semipelagianos male intellexisse Augustinum, et ideo male intulisse; nos autem recte intelligere ac fideliter referre hanc novam sententiam, et ex illa recte inferre prædicta incommoda. Et signum hujus diversitatis est, quod isti auctores nunquam nobis respondent negando illationem quam facimus. At vero Augustinus nunquam admittit quod illi Semipelagiani imponebant, nam illo posito videbat recte sequi incommoda quæ inferebant, sed declarat semper quomodo sit in potestate hominis habere auxilium necessarium ad perseverandum si velit, et quomodo electis detur actu perseverare per congruam vocationem, et sine prævia determinatione ad unum.

*Decima objectio.*— Hæc non pertinet ad præsentem causam, sed fit contra quamdam doctrinam a multis antiquis Theologis probatam, quia hoc tempore illam specialiter defendit Molina, nimirum quod, nisi Deus esset paratus ad illuminandum supernaturaliter omnem hominem, facientem quod in se est per lumen rationis et vires liberi arbitrii, si majores non habet, non esset verum dicere Deum velle omnes homines salvos fieri, etc., quia nec voluntate antecedente, nec voluntate consequente id vellet. Objicitur autem quia simili modo argumentabantur Pelagiani apud Augustinum, lib. 4 contra Julianum, capit. 8, et Semipelagiani apud Prosperum et Hilarium, in suis epistolis.

Duo vero breviter et obiter dicimus: unum est, negari non posse Augustinum interdum et variis in locis aliter interpretari verba illa Pauli: *Deus vult omnes homines salvos fieri*, ita ut de voluntate absoluta et consequente intelligantur, ac proinde non extendantur ad omnes homines absolute et simpliciter, sed cum aliqua limitatione. Nihilominus tamen certum est probari etiam ab eodem Augustino expositionem de voluntate antecedente erga omnes homines simpliciter et absolute; nec potest sensus ille a Catholicis Theologis rejici, tum quod sit frequentiori Sanctorum calculo comprobatus; tum quod sit planior et contextui Pauli conformior, et aliis Scripturæ testimoniis consentaneus. Recte ergo facit Catholicus Theologus ex illo sensu argumentando, etiamsi hæretici eodem sensu usi fuerint ad suam argumentationem. Sed est secundo notanda differentia, nam Pelagiani et Semipelagiani conabantur inde inferre initium salutis esse ex homine, qui per liberum arbitrium potens est mereri a Deo primum gratiæ auxilium; imo etiam inferebant expectare Deum hoc initium ex parte hominis. Catholicus autem Theologus potius infert Deum ex sola sua misericordia et liberalitate paratum esse ad illuminandum omnem hominem venientem in hunc mundum, sine ulla exceptione, quantum est ex parte Dei, ex quo ulterius addidit Molina, cum multis Theologis, quod, si homo non ponat impedimentum ex parte sua, erit certior et infallibilior illuminatio divini auxilii, non quia illam homo mereatur, aut aliquo modo inchoet, sed quia Deus vult pulsare, et homo non ponit obstaculum. Quæ collectio est pia et probabilis in hoc sensu; nam, licet Deus sæpe et frequentissime illuminet multos rebelles, et ponentes

impedimenta quantum est ex parte sua, nihilominus certum etiam est quod, si quis inventus fuerit non ponens tale impedimentum, infallibiliter illuminabitur ex vi generalis voluntatis; quia tunc impleta est conditio quam potest includere talis voluntas, ac perinde non potest voluntas ipsa non impleri. In hoc ergo sensu inferunt, ex illo testimonio Pauli, dogma illud de faciente quod in se est, non quia talis homo mereatur aut se disponat ad gratiam, ut passim admonet ipse Molina, sed solum quia non ponit impedimentum liberalitati Dei; sed de hoc latius alibi, præsertim lib. 2 de Prædestinatione.

*Undecima objectio.*— Imponitur nobis in hac objectione, quod asseramus auferri libero arbitrio propriam laudem et industriam, si Deus illud efficaci gratia prævenit. Et hoc dictum impugnant, quia dicunt fuisse sententiam Cassiani et Semipelagianorum, ut constat (inquiunt) ex Prospero contra Collatorem, c. 36 et 38 (ut ipsi referunt), et definit. 11.

Ad hanc vero objectionem, præter dicta in superioribus, hoc solum addere necesse est, dupliciter intelligi posse aliquam laudem et industriam servandam esse libero arbitrio: uno modo, tanquam unico et sufficienti principio illius laudis et industriæ; alio modo, tanquam cooperatori gratiæ Dei. Priori modo voluerunt Semipelagiani reservare aliquam laudem vel industriam libero arbitrio, saltem quoad initium bonæ voluntatis, in quo graviter errabant. Posteriori autem modo fides docet libero arbitrio reservandam esse aliquam laudem, vel industriam, sicut reservatur etiam meritum. Quoad hoc ergo magna est differentia in illatione nostra et illorum quoad consequens illatum; nam nos deducimus ad id, quod vere est inconveniens contrarium principiis fidei; illi vero inferebant, tanquam inconveniens, id quod liberum arbitrium per se spectatum ac solitarie sumptum non habeat aliquam laudem et industriam in operibus pietatis, et hunc sensum sæpius indicat Cassianus in illo opere, quod Prosper impugnat.

Deinde, quod attinet ad vim illationis, nos non ita argumentamur: Si Deus efficaci gratia hominem prævenit, privatur liberum arbitrium sua laude et industria; sed in illo antecedenti addimus: Si gratia de se efficaci et physice prædeterminante liberum arbitrium præveniatur; et inde recte inferimus privari, non quidem laude principalis aut unici operarii, hanc enim nunquam illi tribuimus, sed moralis cooperatori et coadjutori minus

principalis; et hæc illatio fundatur in alia, quod per illam gratiam tollitur liberum arbitrium, et est consecutio per se satis evidens. At vero Cassianus non inferebat ex gratia per se efficaci aut prædeterminante, sed ex hoc solum quod actus pietatis sunt dona Dei, inferebat privari liberum arbitrium omni industria, et laude sibi debita; quæ illatio et frivola et erronea est, quia non videtur intellexisse quomodo liberum arbitrium et gratia conveniant in uno et eodem opere, quod et sit donum Dei ratione gratiæ, et laudabile homini ratione cooperationis liberæ; ideoque ita partitus est munera liberi arbitrii et gratiæ, ut aliquid, laude dignum, sit a solo libero arbitrio, et id quod est a gratia, eo ipso non sit laude dignum respectu hominis. Et hunc sensum indicant verba Cassiani in illa 11 definitione, quæ est de centurionis fide: *Miratur (inquit) eum Dominus, atque collaudat, cunctisque illis qui ex Israelis populo crediderunt præfert, dicens: Amen dico vobis, non inveni tantam fidem in Israel; nullius enim laudis esset ac meriti, si id in eo Dominus, quod ipse donaverat, prætulisset.* Nihil ergo reputat merito et laude dignum, quod a Deo donatum sit, sed quod a solo libero arbitrio sit profectum. Ideoque merito subjungit Prosper: *Impius sensus qui putat beatorem esse hominem cui Deus nihil dederit, quam cui universa contulerit.* Extra rem ergo est illam Cassiani argumentationem cum nostra conferre.

*Duodecima objectio.*— Hæc objectio non spectat etiam ad materiam de efficacia auxilii, sed ad quæstionem de viribus liberi arbitrii ad efficiendum actus bonos quoad substantiam sine auxilio gratiæ; solet enim docere Molina posse voluntatem clicere naturalem contritionem cum proposito absoluto non peccandi in futurum, supposito sufficienti judicio rationis de malitia peccati, etiam ut a Deo avertit. Quam sententiam colligit Molina ex hoc principio, quod liberum arbitrium non fuit extinctum, nec omnino extenuatum per originale peccatum. Objectio ergo est, quia idem ex eodem principio asseriebant Semipelagiani, ut constat ex Prospero contra Collatorem, c. 8, 17 et 23, et l. de Ingratis, c. 4 et 5.

Sed (ut dixi) hoc nihil ad præsentem causam refert. Nam licet esset falsa illa sententia Molina, nihilominus verissimum esset supernaturalem actum contritionis fieri posse a voluntate humana sine auxilio de se efficaci ac